



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

Calvini
duplex
error.

Dupliciter errat: primum quod orauerit pro sola plebe. Nam Lucas apertè de plebedicit: *Sequebatur eum turba multa populi & mulierum quæ plangebant & lamentabantur eum.* Petrus quoque Principes non secus ex ignoràtia peccasse quàm populum loco citato affirmavit. Alter error magnam habet impietatem, Christum frustra pro Scribis oraturum. Nam de his ipsis dicit S. August. hæc Christi verba tractans. *Insani sunt, medicus sum: sciant, patienter fero: cum occiderint, tunc sanabo.* Serm. 8. & 9. de verbis Apostoli. Sic Beatus Leo loco citato: *Misericors Dominus, qui etiam interfectores suos sua morte volens saluare, pro ignorantia scientium de crucis altitudine supplicabat.* Et iterum serm. seq. *Qui venit peccatores saluos facere, nec ipsis quidem interfectoibus suis misericordiam denegauit.* Rursum August. serm. 59. de verb. Domini: *Credentes sanguinem eius biberunt, quem sciendo fuderunt.* Vnde & Lucas alibi ait: *Multa etiam turba sacerdotum obediebat fidei.* Vbi bonus Beza voculam *sacerdotum* è textu expungere studiose conatur.

Serm. 8.
& 9. de
verbis
Apostoli.

Act. 6.

43. Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.

ETIAM ex hoc dulcissimo diuinæ misericordie flore aliquid veneni fugere, aliquid quod contra pietatem diceret in hoc tanto opere pietatis aduertere, & ad summam Christi bonitatem oculum nequam adferre Calvinus potuit. Ex his quippe Christi verbis misericordia & amore plenis, fiduciam ac præsumptionem impiam stabilire, satisfactionis necessitatem ac fructum tollere, confessionis vsum subsannare, homo impius conatur. Audiamus loquentem belluam. *Primò (inquit) notanda est incredibilis facilitas, quòd sine mora latronem tam humaniter complectitur, sibi que beate*

Pœnitentia & satisfactio- nis necessitas defenditur.

vis

vite socium fore promittit. Quare minimè dubium est, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit qui ad eum confugient. Unde certò statuere licet, modò memor sit nostri, nos saluos fore. Porro fieri non potest vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant. Per has dulces benedictiones seducit Calvinus corda innocentium. Christi quidem facilitas ac misericordia incredibilis in hac parte fuit: sed & latronis fides, charitas, spes, totaque pœnitentia admirabilis erat, vt mox dicetur: sine quibus similem sibi certò promittere à Deo misericordiam, magna temeritas ac præsumptio est. Est quoq; minimè dubiù, quin sine exceptione omnes admittere paratus sit Deus qui ad eum confugient; sed qui ita confugiunt vt oportet, qui non cum sola fide aut fiducia Calviniana, sed qui cum fide vera Catholica, cum humili & veraci pœnitentia, cum flagranti charitate, cum inuocatione debita, cum peccatorum prætorum acri odio, cum serio & firmo emendationis proposito, ad Deum confugiunt. Qui ita ad Deum confugiunt, sine exceptione omnes admittere paratus est Deus: non quòd his positis admittere teneatur Deus, sed quia hoc diuinę bonitati congruit, & hanc nobis spem diuinitus reuelatę Scripturę faciunt. Nec tamen certò statuere licet (vt loquitur Calvinus) modò memor sit nostri, nos saluos fore: sed certè optimè sperare licet, qui ad Deum confugiunt sicut oportet, illorum Deum non immemorem fore, sed ad salutem recipere. Nec etiam fieri potest vt eorum obliuiscatur, qui suam ei salutem commendant, modò illa commendatio ordine ac debite fiat, iuxta ea quę Deus in Scripturis ab illis exigit, qui se illi cõmendant, & ad eum confugiunt. *Lauamini, mundi estote, auferte malũ cogitationũ vestrarũ ab oculis meis, quiescite agere peruersẽ, discite bines facere.*

Præsumptio Calviniana rejicitur.

Modus confugiendi ad Deum. Esai. 1.

facere, querite iudicium subuenite oppr. sso. iudicate papillo, defendite viduā, & venite, & arguite me, dicit Dñs. Si fuerint peccata v. sra vt coccinū, quasi nix d. albabuntur. Hoc est confugere ad Dominum: hoc est suā ei salutē commendare: hoc est Deum sui memorē habere.

Sed iocus ac ludus hæc sunt, prout huius postea in posturæ que dabunt. Quod si (inquit) latroni tam facilis transitus in celū fuit, quia in vltima rerū omnium desperatione recubuit in Christi gratiā, multo magis hodie Christus mortis victor manū ē solio suo nobis porriget, vt in vite societate colligat. Aduerte imposturā. Facilis (inquit) illi transitus in celū fuit, quia in vltima rerū omnium desperatione recubuit in Christi gratiā. Fallit lectorē impostor.

Latroni
vnde tam
facilis in
celū trans-
itus.

Nō propter hanc causam tā facilis huic latroni in celū transitus fuit: non quia in vltima rerū omnium desperatione, hoc est, vbi nihil in eo erat vnde veniā speraret, nulla fides, nulla pœnitentia, nulla charitas, (hæc enim certē vltima est hominis peccatoris desperatio) hoc solo nomine, quod in Christi gratiā recubuit, id est, hoc solo nomine quod fiducia salutis cōcipere ausus fuit, tā facilis illi in celū transitus fuit. Imō neq; propter illā fiduciā omnino tā facilis illi in celū trāsitus fuit. Fuit sane illa eius fiducia, qua in Christi gratiā recubuit, vna egregia dispositio qua veniā peccatorū cōlequebatur; dispositio inquā, non causa aut meritū; nisi nunc animo in diuersa murato pœnitentiā peccatoris (cuius hæc fiducia & spes veniē vna pars est) remissionis peccatorū causam ac meritū saltē de cōgruo elle, fateri Calvinus velit. Ait enim: Quia in Christi gratiā recubuit. Qui modus loquendi causam & rationē denorat. Sed certē hæc in latrone fiducia & spes veniæ qua in Christi gratiā recubuit, fuit vna egregia dispositio ad veniā a Christo consequendam. Sed nec fuit sola dispositio, quan-

quādo fides eius planè admirabilis, cōfessio quoque fidei nobilissima, charitas admodū feruens & egregia, peccatorū suorū aperta professio, aliāq; adhuc plura non secus eū ad hanc veniā disponebant, quā fiducia concepta; nec ad tam facilem in cælū transitum, id est, ad talē veniā qua paradysum ei eodem die promitteret, vlla dispositio illa erat. Nam ad veniā quidem peccatorū & ad iustificationē impij disponit pœnitentia, fides, fiducia, aliæq; virtutes ex speciali Dei gratia productæ: sed ad glorię mensurā aut gradū, (qualis hic vnus erat, confessim in paradiso esse) sicuti nec ad ipsā gloriā adeundā illa disponunt, quum in huiusmodi glorificatione tota gloria sit pura gratia. Est enim vita æterna quibusdā mera gratia, qui nihil ad eam cōsequendā iam iustificati operari potuerunt; quibusdā verò, qui iam iustificati bona opera fecerunt, & gratia, & merces.

Duobus igitur modis fallit lectorē Calvinus. Quod enim in Christi gratiam hic latro recubuit, nec tam facilis in cælū trāsitus vlla causa fuit, nec ipsius remissionis peccatorū sola causa aut sola dispositio fuit. Quod ipsemet Calvinus ex parte nobis explicabit. Primū enim de fide huius latronis dicit. *Nescio an à mūdo condito magis rarū & memorabile fidei exemplū vnquā extiterit. Nā repētē altius penetrat quā apostoli omnes & reliqui Discipuli, in quibus doctis tantū opere consumpsit ipse Dñs. Deinde confessionē fidei non minus admirabilē agnoscit. Neque id modò (inquit) sed Christū in patibulo regē adorat, regnū eius celebrat in horrenda & plusquā deformi abiectiōe, moribundū pronūtiat vitæ authorē. Postea patientiā ac tolerantiam eius prædicat. Quod autem cruciatus suos animosè negligens, imò quasi sui oblitus ad spem & desiderium occultæ vitæ rapitur, sensum humanum superat. Quare & moriis*

catior

Latronis
varie vir-
tutes præ-
ter fidu-
ciam.

Latronis
virtutes.

cationem carnis, & patientiam, & fidei altitudinem, & spei constantiam, & pietatis ardorem ab hoc Magistro discere non pudeat. Hæc hoc loco Calvinus ab *a* Ambrosio prius ac *b* Leone Papa diligenter obſervata. Quibus adhuc adijcere licet humilem peccatorum suorum confeſſionem, Nos digna factis recipimus; honoris Christi defensionem, Hic autem nihil mali fecit; charitatem erga proximum (vt notavit in hunc locum Beda) qua eum fraternè corripuit dicens, *Nec tu Deum times*, &c. Propter has igitur tot ac tantas virtutes, non propter solâ fiduciam qua in Christi gratiam recubuit, facilem à Christo veniam impetravit?

a Serm. 44
& 45.
b Serm. 2.
de pass.
Domini.

Pergamus nunc cum Caluino. Absurdū enim (inquit) esset, ex quo chirographū nobis contrariū affixit cruci, mortemque & Satanam proſtigavit, & in sua resurrectione triumphum egit de mundi principe, nobis nō eque facilem & promptum esse ac latroni transitum à morte in vitam. Quisquis ergo vera fide animæ suæ custodiam Christo moriens tradet, non extrahetur in longū tēpus vt suspensus languat, sed eius voto eadē, qua erga latronem usus est, benignitate Christus occurret.

Caluina-
na colle-
ctio du-
pliciter
claudicat.

Hæc Caluiniana collectio dupliciter claudicat. Primum, quia non sequitur: Christi nunc maior est gloria quā in Cruce fuit, ergo par & eadē misericordia. Non enim à ratione diuinæ gloriæ, sed à ratione immensæ charitatis Dei & Christi, misericordia ortū capit. Christi autem in nos immensa charitas nunquam ardentius flagrauit quā in cruce, vbi torcular calcavit solus, & non fuit vir de gentibus cum eo, ab omnibus derelictus; vbi preciū redemptionis de facto persoluit; vbi victima mactata adhuc in ara stetit; vbi se totū pro nobis obtulit; vbi se maxime Patri humiliavit. In hac igitur tā ardenti flamma maiores scintillæ hinc inde euolarunt. Orat pro persecutori-

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.

toribus, Matrē commendat discipulo: exclamat. *Sitio*; non potū, sed salutē humanā: denique huic latroni paradysum promittit. Hic magis sese diffudit misericordia, vbi magis exarlit charitas. Hic mustū propinavit, qui adhuc in torculari stetit; & facilius atque vberius bibit, qui fonti proximus astitit. Deniq; Christi in terris beneficia gratiē singularia, nō sunt exēpla sed miracula. Deinde fallit iterū tota Caluini consecutio, nisi eadem fide, fortitudine, patientia, alijsque virtutibus animæ suæ custodiam Christo morientes tradimus, quibus suam hic latro Christo commendauit. Vnde sapienter Augustinus: *Antē mibi latronis fidē ostende, & tunc tibi latronis beatitudinem pollicere.*

Sed nūc quō tota Caluini tendat oratio, & quos hactenus cuniculos egit, qui nunc proximē sequitur verborum fragor ostendit. *Itaque facessat putidum illud Sophistarum commentū de pœnæ repetitione quā culpa remittitur: quia videmus vt Christus, quē reatu absoluit, simul à pœna liberet.* Huc hactenus colliniauit Caluinus; ad hoc venenū tandē instillandum Christi gratiā & bonitatem hactenus prædicauit. Sed nec antegressē orationis filum huius conclusionis telā texere potuit; nec quod nūc dicit, aliquam nouam texturā adfert: Christus latronē sic à reatu absoluit vt à pœna liberet; ergo quoties culpa remittitur, nulla est pœnæ repetitio. Tā malè sartum hoc argumentū est, vt eius inanitas vel puero transpareat. A particulari concludit generale. Quis puer hoc vitium non videt? A fidei exēplo tā raro ac memorabili quale à mūdo condito non existit, (sūt Caluini verba) ad fidē simpliciter verā, qualis in quolibet credente necessariō reperitur, argumentatur. Argumenti absurditatem quis non aduertit? A multis cum fide virtutibus coniunctis ad solam fidem ratio-

O o tio.

Serm. 1.
fer. 3 post
Domin.
Palm.

Manet
pœna re-
missa
culpa.
Caluini
putidum
& puerile
argumen-
tum.

tio cinatur. Quàm hoc à ratione imò & à pietate procul alienum sit, quis ignorare potest? Denique ex priuilegio gratiæ in Cruce factæ; regulam communem statuit. Consequentia vanitatem quis tandem approbabit?

At aliquid suæ collectioni obijcere vult ipse Calvinus. Vafre. Quasi nihil aliud obijci queat aut debeat. Atqui quæ nos iam contra obiecimur, soluat qui potest Calvinista. Audiamus interea quid ipse sibi opponat, & quomodo soluat. *Nec obstat* (inquit) *quòd latro pœnam cui addiētus erat, nihilominus ad extremū usque sustinet: quia hic nulla cōpensatio nobis fingenda est quæ ad placandū Dei iudiciū piaculi vice sit: (quæadmodum Sophistæ delirāt) sed pœnis corporalibus simpliciter electos suos Dominus ad displicentiā & odiū peccati erudit. Itaque Christus latronē paterna disciplina ad abnegationē adductū, quasi gremio suo excipit, non ad ignē purgatorij ablegat. Latronē illa pœna, cui addiētus erat, ad placandū Dei iudiciū aliquam cōpensationem attulisse, nō improbabiler dici potest, si illā pœnam sceleribus suis debitā (quod publicè professus est, dicens, Nos digna factis recipimus,) veluti illis iustè debitā alacriter suscepit; & in aliquā compensationē à Deo acceptari humiliter petierit. Quod ut eum fecisse plusquam probabile est, quia qui mentē fide illuminauit, animū quoque pœnitentiæ studio imbuisse (quū fides & pœnitētia pariter in Scripturis coniungantur) dubitari vix debeat; ita etsi non fecerit, nec de tali compensatione cogitauerit, tamē propter causas antedictas, ab alijs peccatoribus nullam à Deo pœnā temporale remissis peccatis exigī nullo modo cōsequitur. Pœnæ autē temporalis cōpensationem ad placandū Dei iudiciū piaculi vice per solui; nō est Sophistarum deliriū, ut hīc delirat Calvinus, sed est diuina-*

uinarum Scripturarū & SS. Patrum luculenta & sapiens doctrina: quā diligenter explicatā & contra omnes Caluini cauillationes solidē defensionem videre licet apud Rob. Bellarminum: ne hīc frustra actum agamus.

Proprium autem hoc loco Caluini deliriū, quo imperito lectori nebulas offudit, paucis refutabo. Ait *penis corporalibus simpliciter electos suos ad displicentiam & odium peccati Dominum erudire. Sic atronē paternā disciplina ad sui abnegationem adductū affirmat.* Ad latronē quod attinet, non illa supplicij pœna ad sui abnegationē, sed admirabilis diuini Spiritus gracia eaque repentina & efficacissima, ad memorabile istā conuersionē, cum tot virtutibus coniunctam, adduxit: quod ipse Calvinus hoc loco non diserte. Quo (inquit) *maiori admiratione digna est Spiritus S. gratia, quæ tam luculentē hīc se exeruit.* Pœna quam sustinuit, nō fuit paterna disciplina, qua eū Deus erudit; sed fuit debitū sceleribus supplicium, quo digna *factis accipit.* Paterna disciplina qua De⁹ suos filios castigat, vt Paulus ad Heb. prolixē docet, non est pœna flagitij debita; sed est varia pro Christi nomine & pro veritate afflictio, persecutio, bonorū rapina, iustis & credētibus propter ipsā iustitiā inflicta, propter fidei confessionē suscepta, propter veritatis & pietatis defensionē tolerata. Quū enim dixisset, *Rememoramini pristinos dies, in quibus illuminati magnū certamen sustinistis passionū, &c. mōxque adiecisset, Patientia vobis necessaria est, vt Dei voluntatem facientes, reportetis promissionē* (de Dei voluntatē facientibus & multa pro pietate patiētibus loquitur, non de sceleratis & flagitiosis ad odiū peccati iusto supplicio erudiendis) ac deinde magnū iustorum catalogum texuisset, qui iustitię ac pietatis nomine

Contro-
uer rom. 2
de pœnit.
lib. 4. c. 8.
& seqq
Item cap.
14. &
seqq.

Satisfac-
tionis
pœnæ &
disciplinæ
paternæ
differen-
tia.

Heb. 10.
32.
36.

Heb. 11.

36. dixerunt) *distenti sunt*, vt 7. filij Machabeorū; *ludibria*
 37. & *verbera experti*, in super & *vincula & carceres*, vt Ierē.
 & Micheas; *lapidati sunt*, vt Zacharias sacerdos &
 Naborh; *secti sunt*, vt Esaias à Manasse Rege; *tenta-*
 38. *ti sunt*, vt Ioseph & Iudith; *in occisione gladij mortui sūt*,
 vt 85. sacerdotes ab impio Saul interfecti; *circuierunt*
in molis, in *pellibus caprinis*, *egentes*, *angustiati*, *afflicti*,
quibus dignus non erat mūdus, qui videlicet tot his ma-
 lis ac po-nis corporalibus non ad odiū peccati, sed
 ad virtutis ac pietatis incrementa erudiebantur;
 Heb. 12. 1 tandem ad ipsos Hebreos rediens, *Per patientiā* (in-
 quit) *curramus propositum nobis certamen*: tōxq; Chri-
 sti redemptoris exemplo ob oculos proposito, vt
 3. *non fatigentur animis suis deficientes*, quia nondum vsque ad
 4. *sanguinem resistissent aduersus peccatū repugnantes*, id est,
 contra infidelitatis & abnegationis Christi tenta-
 5. tiones; *prolixē docet*, vt *non negligant disciplinam Do-*
 6. *mini*, quia *Deus quos diligit castigat*, & *flagellat omnem filiū*
quem recipit. Tota hęc castigatio paterna nō est eru-
 ditio ad odiū peccati quod perpetrarunt, & cuius
 nomine puniuntur, vt hic latro punitus est; sed est
 eruditio ad odiū peccati ne perpetraretur, & vt pos-
 sint aduersus peccatum repugnare etiam vsque ad
 sanguinē resistendo. Quare totā hanc doctrinam
 11. postea concludens, ait *Omnis disciplina in presenti quid-*
em non videtur esse gaudij, sed mæroris: postea autem *fructū*
pacatissimum exercitatis per eam reddit iustitiæ: id est, ijs
 qui per patientiam malis allueuerunt, & longa ex-
 Rom. 5. ercitate probati fuerunt, (*tribulatio enim patientiā*
operatur, patientia probationem) fructū duplicē adfert;
 primum *pacatissimum*, siue tranquillitatis & pacis
ἐπιπικνόν, quia animo pacato omnia tolerat; dein-
 de iustitiā *δικαιοσύνη*, quia facit hominem iustum
 quatenus ea admonitus peccatū fugit, Deoq; ar-
 ctius adheret, quod alijs verbis antea dixerat, *Deū*

nos erudire ad id quod vtile est in recipiendo sanctificationem eius, εἰς τὸ μεταλαβείν τῆς ἀγιότητος αὐτοῦ, id est, propter nostrā vtilitatem, vt sic eruditi participes simus eius sanctitatis quæ in Deo est, siue vt firmus sancti ac iusti pro modulo nostro, sicut Deus est. Hęc est paterna disciplina qua iusti, & electi, & filij Dei exercentur, ad fugam peccati, & sanctitatis ac iustitiæ incrementum; nō illa quā fingit Calvinus, qua impij & peccatores percutiuntur, ad displicentiā & odium peccati in quo sunt, vel quod perpetrarunt. Vicinitate & affinitate verborū fallit lectorē Calvinus. Paterna quippe Dei disciplina ad peccati odium erudit, ne committantur, vt Apostolus nos docuit, & eius finis est nostra sanctificatio, iustitia, corona. Disciplina & castigatio qua Deus punit peccatores vt à peccato delistant (in quo genere dictum est, *Multiplicate sunt infirmitates eorū, & postea accelerauerunt: & rursum, Vexatio dabit intellectum*) est quidem aliquo modo paterna, quatenus misericorditer ad emendationē prouocat, sed quia necdū tales filij sunt, nō eos propriē vt pater filios castigat, sed vt dominus seruos ad officium reuocat. Castigatio autem illa qua iam sibi reconciliatos certis adhuc pœnis Deus subijcit, non est paternæ misericordiæ, sed diuinæ iustitiæ opus, quia *in uerse via Domini circa peccatores misericordia & veritas*. Ideo *misericiordiā & iudiciū cōtat ei Propheeta*. Ideo vocatur, *miserans & miserator & iustus*. Ideo rursum dicitur, *Patiens & longanimis & multæ miserationis, & verax*. Sic præcedit misericordia iusticiam, & quibus præstitit Deus misericordiā, ab illis adhuc exigit iustitiā: non quidem summam, sed neq; nullā. Dimisit Deus filijs Israel orante Moyse fœdam illam rebellionē & murmur contra Moysem & Aaron. *Dimisi (inquit) iuxta verbum tuum*. Tamen

Vicinitate
verborū
fallit Cal-
uinus.

Psal. 24.
Psal. 100.
Psal. 111.
Exod. 34.

Num. 14

vide quid addat. *Attamen non videbunt terram pro qua iuravi patribus eorum.* Rursum atrox illud idololatrię crimen de vitulo aureo orante similiter Moyse dimisit Deus, ne profusus eos à facie sua reijceret, aut fœdus cum eo abrumperet: sed addit. *Ego in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* Postquam Davidi pœnitenti Propheta dixerat, *Transulit Dominus peccatum tuum;* quo reparatam cum Deo amicitiam ei significauit: adiecit tamen vt iustitię quoq; diuinę locū adhuc esse intelligeret, in pœnā quidē adulteriij, *Filius qui natus est tibi, morte morietur:* in pœnā homicidij, *Non recedet gladius à domo tua in eternū.* Sic nimirum misericors & miserator est Dñs, & iustus.

Exod. 32.

3. Reg. 12.

Sed necdū Caluino cauillandi finis. *Notandū* (inquit) *præterea est, quibus clauibus latroni aperta fuerit regni cælorum ianua. Neq; enim hic vel Papalis cōfessio vel satisfactio in rationē veniunt: sed pœnitentiā & fidē contentus est Christus, vt ad se venientē vltro excipiat.* Breuiter respondeo: Neq; etiā hic vel Euangelica prædicatio, vel disciplina cōsultoria, vel Baptismi susceptio, vel Cænę Dominicę participatio in rationē venerūt, sed pœnitentiā & fidē contentus est Christus, vt ad se venientē vltro excipiat. Nō videt cæcus hereticus hoc insulso cauillo non aliter explodi quæ sua secta in peccatoris cōuersione vel sanctificatione adhibere solet, quā quę in Ecclesia Catholica perpetuò adhibita fuerūt. An quia Christus per excellentiā vno verbo peccata remisit Magdalenę, paralytico, & huic latroni, idcirco in Ecclesia Christi omnis Sacramentorū & disciplinæ Ecclesiasticæ vsus veluti res ridicula exploderetur, vt sola sufficiat pœnitentiā & fides corā Deo? An quia Christus sine clauibus regnū cælorum aperuit, idcirco claues regni cælorum à Christo Petro datæ in puteū projicientur? An idcirco Ecclesia nullas claues habet?

Caluini
putidum
cauillum.

Hæc

Hæc sunt insulsa & putida Caluini cauilla, nulla refutatione digna. Garrit tamen adhuc in hoc suo insipido cauillo mirè sibi placens. *Atq; hinc* (inquit) *melius iterū confirmatur quod nuper attigi, si quis grauetur latronis vestigijs insistere, & præeunte sequi, dignū esse æternæ exitio: quia impio fastu seipsum ab aditu cælorū arcet. Et certè sicut in latronis persona cōmune obtinēdie veniæ pignus nobis omnibus Christus dedit, sic rursus tanto miserū illum honore dignatus est, ut omni propria gloria exuti, non nisi in vna Dei misericordia gloriemur. Quod si verè & serià se quisque nostrū excutiat, meritò nos pudefaciet immensa scelerum nostrorū congeries, ut hominē perditum, qui mera gratia salutē adeptus est, duce & antesignanū habere minime pigeat.* Hæc Calvinus, quibus nescio an aliquid magis vel impiū vel stolidū scribere potuerit. Vult nos latronis vestigijs infiltrere, & præeunte sequi. Quomodo verò? An utrota vita latrocinemur, aut scelera scelerib⁹ accumulē⁹ sicut ille? Quid nī? ait Calvinus. *Nā si seriò se quisq; nostrum excutiat, meritò nos pudefaciet immensa scelerū nostrorū cōgeries.* Ergo omnes etiā in Christo ab infantia regeneratos sceleratā vitā ducere, & latroni isti similes esse Calvinus iudicat? Omnino eum ita iudicare, hæc verba cōuincunt. Nisi enim sceleratā vitā duxerint, quomodo immēsa scelerū congeries vnumquēq; pudefaciet, aut quomodo latronis vestigijs insistē⁹? Sed ab sit hæc tanta impietas à Christianis peccatoribus. Qui in adulta ætate ad Christum accedunt, poterit illis fortallè cū Apostolo dici: *Hæc quidem fuistis, adulteri, rapaces, &c.* Sed an illud quoq; cōtra Apostolū dicitur: *Adhuc etiam tales estis: ideoq; nec abluti, nec iustificati, nec sanctificati estis?* At verò ab ineunte ætate in Christo regenerati si immensam scelerū congeriē vnusquisq; habet vnde pudefiat, quæ tandē erit inter fidelē & infidelem,

Calvinus
vult om-
nes esse
sceleratos
latronis
exemplo.

1. Cor. 11.

Rom. 6.

Christianū & Paganū discrepantia. Ergo omnes
*seruiunt iniquitati ad iniquitatē, & exhibent membra sua
 seruire immunditiæ ad iniustitiam, nec vllus est qui ex-
 hibet membra sua seruire iustitiæ in sanctificationē, de
 quo iterū agere gratias Apollolus possit, & dicere,
 Gratias ago Deo quod fuistis serui peccati, nunc autē ex core
 de obedistis in formā doctrinæ in qua traditi estis. Imò nec
 quando hoc dixit, iuxta Calvinum vera dixit,
 quia immensa scelerum congeries vnumquem-
 que pudefaciebat, & latronis vestigijs insitte-
 re debuerunt. Sed est hæc Calvinī impia ac de-
 testabilis doctrina, cuius alibi notas deprehen-
 dimus, & hęc argumentum præbet; sic ex iustitia
 Christi imputata, & gratuita peccatorū remissio-
 ne, omnes esse iustos, vt in seipsis maneant impij,
 scelerati, pleni immunditiæ, & omnibus flagitijs
 contaminati. Propterea quoque vult in latronis per-
 sona cōmune obtinendæ veniæ pignus omnibus dari: quali
 quod ille speciali priuilegio obtinuit, ab omnibus
 certa fide & ex cōmuni lege expectandū sit: vt vi-
 delicet post vitā sceleratē ac flagitiose diutissime
 ductā, vnico hoc verbo, *Memento mei Domine*, salui
 fiant. Docet quidē hoc exemplum non esse de Dei
 miseratione vlllo tempore desperandū. Sed aliud
 est, non abijcere spem vt Dei misericordiā quouis
 articulo implores; aliud & longē aliud, in quauis
 diuturna impietate certā tibi ex sola inuocatione
 salutē polliceri: aliud non desperare, aliud præ-
 sumere: aliud in naufragij periculo tabulā arripe-
 re, aliud absq; nauigio te mari cōmittere: aliud
 in vrgente morbo medicū aduocare, aliud nullam
 sanitatis curam gerere. *Si bene memini* (ait a D. Ber-
 nardus) *vñū latronē in toto Canone Scripturarū inuenio sic
 saluatū. Noli ergo huic tam periculose expectationi te com-
 mittere. Dicet aliquis in corde suo, ait b Augustinus, Non
 me**

Caluini
 Epicurea
 & execra-
 da do-
 ctina.

Latronis
 exem-
 plū quid
 doceat.

a Serm. 38
 in paruis
 serm.
 b Serm. 1.
 fer. post
 Dom. Pal.

me adeo contristet conscientia rea; video sub momento latroni sua crimina gonata. Immittit diabolus securitatē, vt inferat perditionem. Sed diaboli partes Calvinus hic agit: & quod in Augustino sequitur, ex Caluini doctrina locū habuit. Nec dinumerari possunt quantos hæc inanis spei vmbra deceperit. Innumeri quippe Calvinistæ hac fiducia Calviniana decepti, cuius in hoc latrone cōmune pignus tot verbis persuasit Calvinus, in hæresi & vitæ turpitudine perierunt. Sanè vt eum meritò iudices insanire qui se quadriduo post mortē resuscitandum persuadeat, quia vnum Lazarum quadriduanum Christus resuscitauit; ita profus insanus iudicandus est, qui tota vita flagitiosè ducta, id sibi certò persuadeat in immensa illa scelerum congerie, se sola fide ac fiducia sua, omnium præteritorum veniam, idque sine vllis in igne emendatorio pœnis, facile & vnica inuocatione imperaturum, quia vni latroni similem gratiam Christus fecit. Certè non magis in latronis persona commune omnibus obtinendæ veniæ pignus est, quàm in Lazari persona commune omnibus post quadriduum resuscitandi pignus erat.

IN LVCÆ CAP. 24.

39. *Videte manus meas & pedes meos, quia ego sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.*

CONTRA realem & corporalem in venerabili Eucharistia præsentiam valere hunc locum, multum sibi persuasit Calvinus, persuaserunt & alij nostri temporis sectarij. Sic enim scribit hoc loco Calvinus, *Quum Christus*

O o 5 palz